Ex Codice Diplom Dogelij

# Confirmatio Jurium et Privilegiorum Terrarum Prussiæ, Datum in Nova Civitate Korczyn Feria 6. proxima post Festum S. Barnabæ Apostoli An. 1477. Ex Arch. Regni Lib. 7. sub Lit G. fol. 128.

Casimirus Dei gratia Rex Poloniæ, Magnus Dux Lituaniæ Russiæ Prussiæq Dominus et hæres &c. Significamus tenore præsentium, quibus expedit, universis. Quod quemadmodum anteactis annis certa privilegia et libertates subditis nostris et Terrarum nostrarum Prussiæ incolis, tum Spiritualibus quam Saecularibus dederamus et concesseramus, quæ quidem privilegia et alia, diu et ab antiquo per eos tenta et habita ipsis subditis nostris in omnibus punctis, conditionibus, articulis et clausulis tenere et observare promittimus præsentibus et pollicemur. Harum, quibus sigillum nostrum est subappensum, testimonio literarum Datum in Nova Civitate Korczyn, in Feria sexta proxima post Festum Sancti Barnabæ Apostoli, Anno Domini millesimo quadringentesimo septuagesimo septimo

Relatio Venerabilis Stanislai de Kurozwanki R. P. Vice Cancellarij

Maliszewski